

1580

*Joannes
Corrarius
ad Pontif.
orator.*

nuerant, eripere. Hoc audito, sibi scriptum exhiberi, mox Cardinalium, qui Episcopis præsunt, concilio deferendum, Pontifex petit. Ille, veluti præsagens, cum sibi, ut scriptis res agatur, non videri, dixisset, moram injicit. Pontifex ea de re cum Joanne Corrario oratore colloquutus, Rempublicam, ut satis Grimano Antistiti faciat, hortatur: ni velit, atque in sententia permaneat, judicio certet; ut sint qui inter dissentientes sententiam ferant, æquum esse. Corrarii acceptis literis, responsum est, nunquam sibi in animum Senatum induxisse, ut Aquilejensis ecclesiæ jura laderet, atque eo minus Grimano Antistite, in quem semper uti filium haud vulgaria amoris signa cumulaverat: novum id, quod peteret, pactisque adversum, quibus feuda, eorumque collationem in universo Foro julio ad Venetos spectare cavebatur. Pontifex, ut aliqua ratio concordiae inter Antistitem ac Rempublicam inveniretur, suadebat: Patres, non absque gravi jactura id fieri posse, tum ob rem de qua agebatur, tum ob ea quæ inde penderent, arbitrabantur. Itaque negotium majoribus quotidie difficultatibus involvi. Gregorius Aloysium Justinianum, Patriarcham designatum, Romam vocare, denuo a Grimano scripta petere, accepta uni ex Cardinalium concilio videntia tradere; a Corrario jura Venetorum postulare. Ille, Patres nolle judicio contendere, inquit. Tum Pontifex, ut in ea causa judex sit, necesse esse, affirmat.

*Aloysius
Justinia-
nus Aquile-
jensis Pa-
triarcha desi-
gnatus.*

*Joannes
Grimanus
Patriarcha
Aquilejam
a Carolo
Austriaco
petis.*

Eodem tempore, vel ut intrepide se ecclesiæ suæ privilegia defendere videretur, vel ut gratiam Reipublicæ iniret, a Carolo Austriæ Archiduce Aquilejam civitatem, sibi ex Tridentina sententia debitam, Grimanus flagitat. Negat ille, neque a possessione, quam per multos annos obtinuerat, se depelli passurum. Multa in eam rem affert, quæ a Grimano prævalidis rationibus impugnantur, quem cum se nimium fortasse in altum evectum poeniteret, perhumaniter a Senatu invitatum, Venetias quoque reversurum fuisse perhibetur, nisi integrum sibi receptum non esse cognovisset, cum Pontifex, negotio suscepto, jam dignitatem suam quodammodo oppignorasse arbitraretur; inde ex parvis initiis ingentis incendii incrementa oborta. Hunc annum ægritudo, quæ æstate universam fere Europam pervagata est, insignem reddidit: non sexus, non

*Morbus,
arietis di-
ctus, Ita-
liam uni-
versam per-
currit.*

ætas